



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 114. Ferrariæ obsidio a Pontifice decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

§. CXIV.

*Ferrariæ obsidio a Pontifice
decreta.*Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

Tandem vero Julius, quamvis Mensis *Guicc. lib. 9.*
 September prope exactus esset, Ro- *fol. 256.*
 ma profectus, copias suas in aciem edu-
 xit, ut Ferrariam cingeret, totamque
 hanc regionem primo impetu suæ pote-
 stati subjiceret; postera autem die eidem
 est nunciatum, quod Calvimontius du-
 centos quinquaginta Lancearios ductore
 Castellione, necnon duo peditum millia
 sub Alegrii junioris imperio submiserit,
 atque his copiis Ferrariæ Dux præter
 trecentos Galliæ Lancearios junxerit
 trecentos Italos, & tria peditum millia, om-
 nes milites veteranos. Præterea Pa-
 pa intellexit, quod Ducis subditi tanto
 in eum flagrarent affectu, ut extrema
 quæque pati, quam deditionem medita-
 ri paratissimi essent. Julius accepto hoc
 nuncio Venetorum Senaturn urget, ut
 duas novas classes in auxilium submit-
 terent, quarum una Ferrariam, altera
 Comacium obsideret. In cassum Senato-
 res Pontifici exponunt, armamentarium
 navigiis exhaustum esse, ac plurium an-
 norum inducias requiri, ut totidem, ac
 in Messinensi sinu amisissent, naves in-
 struere denuo possent. His rationibus
 Pon-

Secul. XVI.
A.C. 1510.

Pontifex minime devictus, præclusa omni exceptione sibi obtemperari voluit; unde Veneti, usque dum integram classem adornarent, præter quasdam Reipublicæ Mercatorum naves pretio conductas, ex Insulis quoque illa, quæ ibidem habebant, navigia advehunt, tandemque ex cunctis hisce navalem exercitum contrahunt, quem in duo partiuntur agmina, ut præfatas urbes cingerent. Præterea mediam terrestris sui exercitus partem in Ferrariensem ditionem educere compellebantur, has vero copias, obsidione Veronensi jam soluta, omnino sibi inutiles esse obtendebant.

§. CXV.

Venetorum exercitus pedem referre a Ferrariensi compulsus.

Guicc. l. 9.
fol. 256.
Bembo hist.
Venet.

Ferrariæ Dux inter tot arcta prehensus, Ducatus sui jacturam haud temere verebatur; ast opportuno gemini casus concursu feliciter metuliberabatur; quippe Gallorum agmen pontem, quem Venetorum copiæ flumen trajecturæ Pado imponere cæperant, igne succendit: Papa vero periculoso corripiebatur morbo, medicis ferme de ejus salute desperantibus, quin imo per aliquot dies ad momenta animam efflare credebatur; in ipso enim infirmitatis æstu, nunquam a glacia-